MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 99v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25879
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ingressus est. A porta enim australi usque ad portam aqui-
lonarem quasi miliarium geometricale consistit. Et am-
bitum monasterii. monasterium circumquaque quatuor geome-
tricalibus cernitur miliariis fore uallatum ita ut ab
uno miliario usque ad aliud turris sit fundata.
preminens et excelsa. a secunda ad tertiam. a tertia ad quar-
tam eque lancee mittitur. Cumque in platea monasterii
quod est ante paradysum reus ille cum comite aduenisset.
subito prorupit in uocem. Sancte Richari adiuua me.
Cui cum ductor proterua uoce respondisset. Non te
adiuuabit hodie sanctus Richarius. subito catena con-
cussa. et loris omnibus ruptis. uinctus qui fuerat ad
ecclesiam fugit absolutus. et procidens ante alta-
re sancti gratias egit bonorum omnium largitori.
FUit et alius nomine hildradus. quem oculis
corporeis uidimus. ita contractus et curuus.
ut gybbo dorsum ac ceruices eius premente uix
potuisset ac si repens celos aspicere. Cui obliqui
pedes et crura retro natibus iungebantur. ut potius
monstrum quam hominis factura uideretur. Qui cum longo
tempore huiusmodi squalore fedaretur. ad eun-
dem confessoris aduenit sacratissima die. Cumque noctur-
nis uigiliis interesset. Cum autem modi laudibus exul-
tans monachorum turma concineret terrifica ac
stridenti uoce prostratus ille pauper proclamat. Quo
cum plurimi utriusque sexus tenderent. inuenerunt
eum toto corpore extensum. et iacentem quasi exanimem.
Cui diligenti cura adposita spiritum resumens. et
ad se rediens dixit se uidisse ad se uenientes du-
os in ueste candida uiros qui adprehensum eum unus per
pedes. alter per scapulas extenderunt. et ita dimise-
runt sic iacentem quem aduenerant inuenerunt. Leuan-
tes ergo eum atrii custodes. ante mausoleum beati Ri-
charii cum hymno te deum laudamus deuotissime
portauerunt. Ipse uero ab ipsa die erectus et sancte
ecclesie in reliquum tempus oblatorio officio deser-
uiuit. Hactenus de uita et de miraculis beati ui-
ri pauca perstrinximus. Super est ut ad alia transeamus. Si
quis denique puro corde plura quesierit legat librum
ad karolum regem francorum de uirtutibus eius scrip-
tum. sicque desideratum in eo manifestius inueniet. Nos
ista dixisse sufficiat. Explicit uita et transitus sancti
Richarii confessoris christi. Passio Antimi episcopi et confessoris

SERGIUS Terentianus uir illus-
tris secundo urbis prefectus prunam
galieni augusti neptem. natam
ex gallia filiam eius fortunatus est uxo-
rem. ex qua nati sunt claudius pompeius
et lucina. quam tradidit in coniugium faltonio piniano. Qui
missus est cum hanc haberet uxorem proconsul asie accep-
tis codicellis a diocletiano et maximiano. Maximianus
augustus cuius consiliarius ceremon nomine sacrilega men-
te peruersus uario penarum genere christianos innumeros christia-
nos a demonio arreptus. de carruca publice cor-
ruens per multa horarum spacia a diabolo uexatus
inuocans sanctos quos interfecerat exspirauit. Videns
hoc pinianus nimio pauore correptus incidit in
egritudines ita ut desperaretur uita eius. Lucina uero uxor
eius uidens eum pro illis hoc incurrisse quorum christianorum fuit
persecutor requisiuit confessores christi qui tenebantur in
uinculis et fecit eos occulte adduci ad se. inter quos
erat antimus presbyter et sisinnius diaconus. Ceteri uero fuerunt reli-
giosi uiri. maximus. bassus. fabius. diocletianus. flo-
rentius. Quibus dixit. Facite uirum meum de infirmitate
euadere et honorabo uos diuitiis et liberos abire
faciam. Cui antimus. Tu saluus inquit uirum tuum amore
te eterna et infirmitate hac euadere. hortare eum
fieri christianum et recuperabit sanitatem. Que ingressa ad
eum ait. Quicumque medici te uiderunt euadere te
nullatenus posse testantur. Inueni uero uiros qui tibi
mercede si uolueris fieri christianus sanitatem et uitam pol-
licentur eternam. Audiens hec uir eius dixit. Grandis est
stultitia quod non credo hunc unum esse deum qui desperatos sa-
luti restituit. et reuocat ad uitam quibus iam parata
est sepultura. Tunc lucina introduxit antimum presbyterum et
sisinnium diaconum. Cumque intrassent obuiauit eis se-
dens in cubiculo ubi pinianus iacebat semiuiuus. Il-
li autem dicebant. Non sedeas; aliquid age ut cureris
uenimus. Quibus pinianus dixit. Agite ergo aliquid ut eua-
dam hos quibus affligor dolores. Cui antimus. Cessauit
inquit hic ars medicorum. uero sola uirtus christi occurrit. Pi-
nianus dixit. Succurrat mihi per uos christus ut possim credere
ipsum esse deum omnipotentem. Antimus respondit. Prepa-
retur tuum ut credas ea que dico tibi. Pinianus dixit.
Ergo non credens non fecisse uos ingredi. Dic ei antimus.
Audi ergo quem credas et quem colimus. Unus est deus qui celum et
terram fecit et omnia que in eis sunt. Hic deus ex corde uerbum uirtu-
te plenum protulit. quod uerbo celi firmati sunt et spiritu oris eius omnis
uirtus eorum. Qui congregat sicut aquas maris quasi in utre et posu-
it quasi in thesauro abyssos. Deus autem quem oportet cre-
dere cum sit trinus unus est. Pater qui eructauit ex corde
uerbum bonum. filius est sermo quem eructauit. a quo facta
sunt omnia que sunt. Spiritus sanctus quoque spiritus a quo cuncta uiuunt. Omnium
autem creaturarum deus hominem similem sibi fecit cui legem in-
posuit. quam si seruasset uitam eternam consequeretur. Sed inuidus
angelus suasione sua fecit ut legem transgrederetur
impositam. Unde factum est ut deueniret in mortem.
et ideo hoc uerbum per quod facta sunt omnia quod est filius dei dig-
natus est homo fieri. nascendo ex uirgine intacta. Qui ho-
minem seruituti hostis integrum patris omnipotentis omnia
diaboli temptamenta exsuperans perueniens usque adlig